



Universitätsbibliothek Paderborn

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati
Caesarei, Pars Lyrica**

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Flavio Chisio, Alexandri VII. P.M. fratris filio. Salesij, & Patrui laudes offert,
quasi præludia ipsius gloriæ; ad quam celebrandam mox, vbi sacra
Purpura ornatus fuerit, se accinget. Ode XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

102 IAC. ALB. GHIBBESII

O HENRICE, triumphans,
Vt Consul Capitolium.

Mox

FLAVIO CHISIO,
Alexandri VII. P. M. fratris filio.

Salesij, & Patrui laudes offerit, quasi præludia ipsius
gloriæ; ad quam celebrandam mōx, ubi sacra Pur-
pura ornatus fuerit, se accinget.

ODE XVII.

C Astoris vultu, mare quo serenat,
Vrbis ô lumen, lege nostra, FLAVI,
Scripta: Romanæ bonus hinc notari
Incipe turbæ.

Subdit indulgens populos feroes
Principis flexus. Graue comitatis
Præbet exemplum Titus, ille mundi
Dictus ocellus;
Mente quâ ciues animare regum
Lenta maiestas queat. Ora Phœbi
Plena vitamus, radios remissos
Cernere læti.

Tuquè præclaram simulare sortem
Eligas paulum, patiens adiri
Supplicum libris, facilisquè pronas
Accipe voces.
Quid Patris tendam potius beati
Laudibus? cui ius aperire cœlum;
Quem colunt gentes triplici decorum
Tempora mitrâ.

Vnde reginæ moderaris vrbî
Proximus sanguis. Tamen aduocati
Nomen & virtus, licet inter astra,
Grata Salesi.

En meæ cultum, specimenquè Musæ
Iure sacrandum tibi, docte Princeps;

Mox

Mox erit tempus, tua purpurati
Annectere facta.

AD GUILIELMVM COLLAEVUM:

Cum iam octogenarius librum carminum
ederet.

ODE XVIII.

M Endacem dabo turpiter,
Quisquis non validos iudicij senes,
Regressosque puertiae,
Insulso crepitat gutture pertinax.
Non rugae in facie, neque
Sero quae capiti decederint niues,
Non ætas numerosior,
Nec fretum baculo robur, inutiles
Summis ponderibus facit
Rerum. Testis erit, qui tria secula
Emensus, liquidæ potens
Suadæ, & consilijs aptus Achæicis
Græcus fertur adhuc pater.
Testis, fatiloquo dictus Apollini
Cunctis ingeniosior,
Cunctos quo superat plus niue Socrates.
Pastori Dea non prius
Ascreo properat stemmata, nec nouæ
Afflat mente, caput pilo
Quam cano nituit, fronsque tumentibus
Sulcis prominuit. Dies
Nempè annosa vitos perficit arduos.
Quarto testis ades loço,
Mi COLLAEE, tui gloria seculi,
Vates Pieridum facer.
Vrget te senium, at feruidus ingenii, &
Mentis flore vires. Liber,
O hic non humilis materiæ liber,